

Q. D. B. V.

De

COSACIS,

DISSERTATIO HISTORICA,

Quam

Inclytæ Facultatis Philosophicæ permissu,

publicæ ventilationi

submitunt

M. GODOFREDUS WEISSIUS,

Thorunio-Boruffus,

P R Æ S E S,

&

RESPONDENS

JOHAN-JOACHIMUS MÖLLERUS,

Sommerfeld. Silef. Phil. Bacc.

In Collegio Majori Principum,

d. 7. Junij,

A. M. DC. LXXXIV.

EDITIO SECUNDA.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTIANI GÖZL.

COBACIA

1794 XXXIIII

1794 XXXIIII

M. GORDON

1794

JOHN GORDON

In Collegio

1794



Um Disputationem, pro virium nostrarum modulo, suscipere esset animus, cogitantibus de argumento, COSACI occurrerunt. Neque enim hisce temporibus, quibus insensissimus Christiani nominis hostis unguis barbaros in Austriae praecordia immisit pariter & adhuc, pro dolor! immittit, de Germanis, Polonis, Hungaris, Talpatschis, Hussaris, Janitscharis, Tartaris, Morlakis tantum audivimus; verum etiam Cosacorum crebra facta fuit mentio, adeo ut haec Gens in Shythicas terras aliquoties effusa, percontandi de se occasionem multis praebuerit. Opera igitur pretium, facturos nos, atque thema legentibus non injucundum proposituros esse putavimus, si in COSACORUM ORIGINEM & PROGRESSUM accuratius paulo inquirere-mus. Servabimus tamen Disputantium morem, neque prius quicquam habebimus nominis explicatione. Faxit Supremum Numen, ut omnia cedant feliciter!

Thef. I.

Cosacorum nomen, [qui & Cosachi, Kossakki, Cosaci, Kosaki, Kossaki, scribuntur] prognatum est à Turcico قزاق (Kazak,) quod Turcis Praedo est.

§. 1. Talia incunabula vocabulo non omnes Autores uno ore tribuunt. A Slavonico nomine Kosa, i. e. falx, (quod tamen & apud

Polonos in usu est,) unde Kossak falcifer, vocem hanc derivandam esse putat *M. Joannes Herbinus, in Kijoviâ subterraneâ cap. 2. pag. 7. Paulus Piascius contra, in Chron. gestor. in Europ. sing. ad Ann. 1645. fol. 53.* & cum eo recentiores Scriptores vocabulo hoc Capram, quæ apud Polonos Koza audit, denotari credunt, partim, quia hi homines scandendi nisi imitantur capram, cursuque veloci ad omnia agiles currunt, partim, quod caprinis pellibus contra aëris injurias teguntur.

§. 2. Uti verò priori sententiæ solus, quem nominavimus, Autor favet: ita posterior omnibus ferè Scriptoribus Polonicis, quos evolvere licuit, arridet. Hinc & nos derivationes has ab inventoribus egregiè quidem excogitatas esse lubentes fatemur, cum & in hodiernum usque diem milites hi armis, quibus instructi sunt, etiam falces jurgant, sequè cum panno rudi, quem mittere illis Polonia Reges solent, tum vestibus pelliceis, quarum certus iis dabatur numerus, *vid. Diar. Europ. Contin. XIX. ad Ann. 1669. pag. 563.* contra cœli tempestates muniant, & altissima loca, caprarum instar, celeriter conscendere, sciant.

§. 3. Ab his tamen vocibus Cosacos nomen suum accepisse, tantum abest, ut nobis persuadeamus, ut potius memoriam eorum altius repetendam esse existimemus. Diximus autem vocem hanc Turcicam linguam agnoscere Matrem. *كزاق* Kazac enim Turcicum vocabulum esse, testatur Eques ille Hierosolymitanus, & apud Sac. Cæs. Maj. Lingvarum Orientalium Interpres primarius, *Franciscus à Mesgnien Meninski, in Thesauro Lingvar. Orient. seu Lexic. Turcico - Arabico - Persico, pag. m. 3688.* quò tam Turcæ, quàm Tartari Prædonem denominant, uti scribit *Matth. Berneggerus in Observ. miscell. obs. 17.* & *Reinholdus Heidenstein rer. Polon. Hist. libr. XI. pag. m. 326.* Ab his fortiti sunt hoc nomen, dictique; Kasaki, [hodiè literâ a, in o mutatâ, Kosaki,] quoniam olim, quoties eos spes prædæ invitabat, [invitabat verò sæpissimè] vel Mercatores Turcicos infestabant, vel prædis agendis infidias ponentes, prædas, quas Tartari faciebant, prædabantur, ut videre est apud Scriptores Polonicos, à quibus etiam Prædones vocantur. *Vid. Joach. Pastorii de Hirtenberg Flor. Polon. libr. IV. num. XIX. fol. 303. Reinhold. Heidenstein l. c. libr. V. pag. 175. libr. VII. pag. 213. & ipsum Piascium, in Chron. gest. in Europ. sing. fol. m. 53.*

Thes. II.

CUM verò hoc nomen hodie in latiori accipiatur significatu, circa hos tantum Dissertationis hujus cardo versabitur, qui inferiorem partem Borysthenis, tam eis, quam trans fluvium incolunt, & cognomen, sive à loco, circa quem habitant, sive à Civitate, in qua degunt, sive à fluvio, prope quem colunt, sortiuntur.

§. 1. Diversis hominibus nomen Cosacorum tribui deprehendimus, ut variae ejus acceptiones Lectorem, nisi probe eas observaverit, facile confundere possint. Non considerabimus igitur Cosacos Tartaricos, quorum sedes in Tartaria desertâ est, in qua horda, id est, conventus seu multitudo Cosakensis habetur, & cujus incolae, non procul à Nagajensibus seu Nohaigensibus & Tumenfibus Tartaris habitantes, Casaki Tartari dicuntur *apud Cluverium, in Introduct. in Univ. Geogr. lib. V. cap. 4. §. 1. in not.* Neque Cosacos Lithuanicos atque Polotieneses, à Polocensi Palatinatu in Russia albâ ita dictos, qui Moscicis multa intulerunt damna, *juxta Reinh. Heidenstein, rer. Pol. hist. lib. III. pag. 131. & pag. 144.* Neque etiam nobis sermo erit de Cosachis Marsalcianis, qui nomen à Duce Marsalco adepti sunt, aut de Polonorum levioris armaturae militibus, qui Hussaris gravioris armaturae militibus contradistincti, hodie communi nomine Cosachi appellantur, *apud eundem l. c. libr. IV. p. 148.*

§. 2. Sed in strictiori, uti diximus, significato de Cosacis agemus, qui inferiorem partem Borysthenis, & quidem tam cis, quam trans fluvium incolunt. Notandum verò est, fluvium hunc hodie Nieper, vel cum adjectione literae D Dnieper dictum, in Moscoviâ ex terrâ planâ & palustri ortum, modico in occidentem flexu Smolensko oppidum & Kioviam praeterlabi, deinde in meridiem ferri, magnam denique aquarum vim trahentem in Pontum Euxinum decurrere, cujus superior pars ad Lithvaniam pertinet: Ad inferiorem, contra partem diversarum gentium confinia concurrunt, ubi etiam flumen, praeter nonnullas praefecturas Turcicas, & Moscoviticæ ditionis Russos, Cosaci, de quibus in praesentiarum solliciti sumus, attingunt.

§. 3. Hi milites in diversas Societates & hordas scissi, diversa

quoque fortiuntur nomina; vel enim à loco, à Polonico vocabulo Nisfi & Nissy, i. e. inferior, dicuntur Cosaci Nisovii, quòd infimam partem, quæ ad flumen pertinet, tenent, sive, quæ conjectura nostra est, ab alio Polonico vocabulo Lisowaty, i. e. rufus, Lisovii, Lisoviani, quòd circa Rusfiam rubram habitant, sive à tredecim Infulis aut Peninsulis, quas Borysthenes per cataractarum scopulos, à Ruthenis Porohi, à Polonis Progi, i. e. limites dictos, quasi per gradus delapsus, & in planum diffusus, ac in plures divisus alveos efficit, & incolæ propterea Zaporohenses, i. e. quæ za Porohi ultra scopulorum gradus seu limites sunt, vocant, Cosaci Zaporovii, Zaporofciani, Zaporovienses, Zaporenenses, die Inselmäner/ uti in nostram linguam transtulit Friedrich Leutholf von Franckenberg in der grossen Schaubühne der ietzt regierenden Welt/ pag. 905. sive à Ducatu Severiensi, Severiani; vel à Civitate Sarogrodo, in Palatinatu Braclawienfi aut Braslawienfi sitâ, Sarogrodienses, vel denique à fluvio Tanai, vulgò Don, Donici & Duneses appellantur.

Thes. III.

FActa sunt illis & alia nomina. Vocantur etiam Catadupæ, item Bagaudæ seu Bacaudæ; in Hungaricis, Croatinis & Dalmatinis finibus Martolosii, (i. e. exploratores, qui aliis insidias struunt,) in Pyrenæis montibus Bandoleri, i. e. Banditi seu proscripti, Gallis sunt les Cosaques, Italis li Cosachi.

§. 1. Veteres olim Geographos Cosacos appellasse Catadupas, docet *Clariss. Dn. M. Christophorus Hartknoch de Rep. Polon. lib. II. cap. VIII. §. 17.* Objicis, Catadupas non in Ukrainâ, sed apud Æthiopes reperiri, ubi Nilus ex altissimis montibus ad loca, quæ catadupa vocantur, properat, *juxta Plinium, Hist. libr. V. cap. 9. pag. m. 217. cum not. Dalechampii, quas vide, maximoque sonitu facit, ut Gentes, quæ loca illa accolunt, sensu audiendi careant, referente Cicerone de Somno Scipion. fol. m. 153. col. b.*

§. 2. Respondemus, hoc non obstante, tam populos, qui circa Nilum, quam Cosacos, qui circa Borysthenem habitant, à græco verbo καταδραπέω, sonitum edo, seu ex alto cum sonitu decido, unde καταδραπέω cataracta, Catadupas optimè dici posse, quia eò modò, quò Nilus

Nilus fluit, etiam Borysthenes se diffundit. Ut enim ille, dum magno aquarum strepitu per cataractas ruit potius, quam fluit, *vid. Senec. quæst. nat. libr. IV. cap. 2.* & locis, & hominibus, qui propè ea colunt, nomen hoc dedit: sic nihil obstat, quò minus etiam ab hoc, qui per saxa multis intervallis prærupta cum impetu delabitur, *conf. ib. 2. §. 3.* ob sonitûs magnitudinem, & loca catadupa, & Gentes Catadupæ denominari queant.

§. 3. Bagaudas quoque seu Bacaudas, i. e. factiosos & rebelles eos vocari diximus, scilicet à voce Bagauda, i. e. tumultus, seditio, quos Constantinopoli *μυλαιοις*, ex latino tumultuarios, & Bagaudam ipsum *μυλων*, ex latino tumultus nuncupasse, refert *Christ. Beermanus in Manud. ad Lat. Lingv. pag. 518. & 278.* De cæteris nominibus *vid. Matth. Berneggerum in Obs. miscell. obs. 17. & Michaëlem Baudrand, in Geograph. Tom. I. pag. 303.*

Thef. IV.

Ultimam autem Cofacorum memoriam ad Ann. 1206. rejicimus, quò tempore Rustici se, ob creberrimas Tartarorum in Ukrainam irruptiones, ex agro proripere, & aduncum vomerem cum falce atque acinace commutantes, armis vacare cœperunt, atque deinceps diversarum gentium accessione strenuos se præbuerunt.

§. 1. A quo tempore Cofacorum Origo deducenda sit, nemo, quod ego quidem sciam, tradidit. Nos Anni 1206. mentionem fecimus: Tartari enim, circa Ann. 1202. à Mari Caspio & Monte Imao egressi, devicto & interfecto Indorum Rege, cui servierant, flumineque Rha sive Volga transmissio, non tantum Polovucios, in campestribus ad Tanaim & Paludem Mæotim locis viventes, in fugam coniciebant, locaque expugnata inhabitabant, *apud Martin. Cromerum, de rebus Poloniae libr. 7. pag. 128.* verum etiam sub initia Lesci, qui An. 1206. regnare incepit, in Russia Podolixque fines se effuderunt, *vid. Pastorium de Hirtenberg in Flor. Polon. lib. 2. cap. 12. num. 1.*

§. 2. Cum verò agrestes vicini barbaram hanc Gentem ferarum instar pauperiem tantum inferre sibi deprehenderent, è pagis atque oppidis ad oras Borysthenis, & quidem ad loca naturæ miraculo

culo munita se congregabant, *vid. Simon. Starowolscum in Polon. sua in descript. virium, pag. m. 98.* ibique Tartarorum copias ex Podoliâ aliisque locis revertentes expectabant, prædâque onustos spoliabant, pariter & cædebant. Deinde Tauricam quoque Chersonesum, quam Amurathes, Tartarorum subactor Ann. 1584. totam in Provinciam, redexit, & cujus angustæ Peninsulæ quatruidi tantum itinere ab insulis Cosacorum Zaporohianis distant, continuis excursionibus divexabant. Atque ita excursiores, velitationibus creberrimis commissi, agriculturam linquentes, ex raptu in hostico vivere in animum induxerunt, & propterea à Tartaris Kazaki seu Prædones appellati fuerunt.

§. 3. His non solum Poloni se associabant, ut vult Piascius, cui omnes Poloni esse, atque ex Provinciis Poloniæ Russicis, vicinioribus Chersoneso Tauricæ prodire videntur, *in Chron. gest. in Europ. sing. fol. 53.* sed & ad eos Lithvani libertatis & magis licentiæ avidi, alique partim infamiâ notati, partim exercitu dimisso, ferocissimi quique Subditorum Poloniæ, laboris impatientes sive insueti, partim licentioris ingenii convenæ ex Germaniâ, Galliâ, Italiâ, Hispaniâ, ob patrata facinora extorres confugiebant, ita tamen, ut Religionis Græcæ cultum observare, Ruthenicam linguam exercere, plebeja cognomina, licet progeniem à generosis parentibus ducere possent, assumere, atque omni civitate depositâ agrestem vitam degere cogentur. *vid. Reinh. Heidenstein libr. III. p. 19. & libr. XI. pag. 326. Adde celeberrimum Dn. Hartknoch de Republ. Polon. libr. II. cap. 8. §. 15.*

§. 4. Auerti hinc modò Cosaci perpetuò in armis versabantur. Hinc ex plebe rusticâ, ut cum *Catone* loquamur *de re rust. cap. 1.* milites non contemnendos, Viros fortissimos, & strenuissimos vidit Posteritas. Nam cum homines robusti pariter & ad Solem indurati sint, neque cibus delicatis innutiantur, sed, si feriandum est, venationibus ac piscatui intenti, piscibus, quos cineribus salis loco confrictos ad Solem siccant, vivant, *apud Piascium in Chron. gest. in Europ. sing. fol. 53.* semperque arma capebant, non possunt non ad rem militarem apti esse, cujus etiam tantam sibi compararunt peritiam, ut Cosacos fortitudine bellicâ nulli nationi inferiores esse scribat *Simon Starowolscus l. c.* putetque, Reges Poloniæ hoc militiæ genere potentissimorum in Orbe terrarum Principum peditatum adæquare posse,

posse, si è toto Regno Poloniæ delecta juvenus Cofacis adjungatur, & sub Præfectis atqve Chiliarchis in arte militari exerceatur. Quod etiam superioribus temporibus odio quietis & virtutis exercendæ causâ à quibusdam Nobilibus factum esse, & ad eos quosdam è primariâ juventute missos fuisse, affirmat *Reimb. Heidenstein hist. libr. 3.*

pag. 119.

Thef. V.

TAle Militum institutum non potuit non placere Regibus Poloniæ, qui propterea eos tum longo Palatinatûs Kioviensis tractu, tum multis Privilegiis donarunt.

§. 1. Ut primum Reges Regnumqve Poloniæ se Turcis Cofacos opponere posse viderant, à vitâ hætenus actâ avocare eos, donisque & immunitatibus calcaria currentibus addere voluerunt. Et Stephanus quidem Rex Poloniæ, cujus auspicio stipendia mereri cœperunt, primus fuit, qui Cofacis, Prædonum hætenus quam militum turbæ similioribus, & sine Duce certo, nullâqve lege ac disciplinâ arma tumultuariè tractantibus, An. 1576. leges præscripsit, quibus in primis licentiæ Cofacorum obviam itum est, cautumqve, ne Cofaci latrocinia exercent, Mercatoribus nullum damnum inferrent, ne bona Nobilium invaderent, neve vicinos populos incursionibus adversus Polonos irritarent; Uti habet, *citante Dn. M. Christoph. Hartknoch l. c. §. 16. Const. Ao. 1590. tit. Porzadck Strony.*

§. 2. Eodem anno, quò legum latorum essent observantissimi, Palatinatûs Kioviensis oppidum Tectimorovo, cum fundis adjacentibus, omnemqve illum tractum, qui viginti milliaria germanica intra Kioviâ complectitur, in sedem illis, & bellicorum apparatusum receptaculum assignavit, in quo etiam oppido Privilegia, tormenta bellica, varia è Turcarum emporiis olim importata spolia, militaris supellex, regia vexilla asservabantur *apud Pastorium in Flor. Polon. lib. IV. num. XIX. fol. 303.* Privilegiis postea addebantur Privilegia, quibus Donici quoqve aucti, æquo & pari jure hodie cum Moschis vivunt.

Thef. VI.

Successu temporis, cum indies hæc colluvies excreveret, Scœpisset, quò militia ipsorum fieret ordinatio, Ducem bellicum, quatuor bellicos Consiliarios, Legatum, Chiliarchas,

B

chas,

chas, Centuriones, & Notarium publicum elegerunt, & adhuc eligunt, eosque pro arbitrio ab officio iterum remouent & trucidant, aliosque illis, quos de dignitatis gradu deturbant, surrogant.

§. 1. Incertus Cofacorum numerus, licet in dies cresceret, semper fuit. Visa antea non supra sex millia horum militum sunt, postea 18000. mox triginta millia numerabantur. Aliquando, cum Seditionem tota Russia moliretur, Chmelnicius ultra ducenta millia regebat. Hodie è Nisouiiis 18000. è Zaporouiiis 40000. in prælium educi posse, ipsi coram Rege Poloniæ de se fassi sunt. Quibus etiam fidem facile habere possumus, quòd, dum Cofaci transfugis perditisque hominibus ad se veniendi & impune manendi potestatem faciunt, flagitiosi homines ad eos spe impunitatis non accedunt sed accurrunt. *Vid. Excell. Dn. Schurtzsteysch in Disput. de Stephano Ratzin, Cofaco Donico, Ao. 1683. Witteberga habitâ. §. 11.*

§. 2. Quandoquidem verò turba militum sine Duce, corpus sine spiritu est, de Ducibus etiam corpore inprimis firmis, (quod apud Turcas quidem generosæ stirpis indicium, apud eos nota audaciæ & crudelitatis est) armorumque usu & ætate valentibus solliciti esse cœperunt. Talis robustus Vir Joannes Podkowa, Dux Cofacorum, Nisouiorum fuit, tanto robore corporis præditus, ut ferreas equorum soleas confringeret, unde & nomen Podkowa i.e. solea ferrea ei sederat *vid. de Hirtenberg Flor. Polon. libr. IV. num. 19.* Ejusdem farinae homo Stephanus Ratzinus, Cofacus Donicus erat, Vir obscuro loco natus, & vel solo adspectu trux, ut Cofaci, circa Tanaim habitantes, seu Dunenses dignum iudicarent, cui Præfecturam belli committerent, *apud Dn. Schurtzsteysch l.c.* Ut primum igitur torvum ejusmodi & bellicosum hominem conspiciunt, Ducem, (Duces enim, quorum imperium simultaneum fuit, præter Lobodam, qui tum temporis antiquiores Nisouios duxit, & Simonem Nalevaikum, qui fugitivis & quibus nihil inquinatius, imperavit, apud Scriptores non inuenimus) ubi opus est, eum creant, ad electionem se hõc modò accingentes: Conveniunt in certo loco, & Candidatum, non suffragiis, uti in Electione fieri solet, sed solis acclamationibus, & frequentibus pileorum in eundem ejectionibus eligunt, eique clavam, seu baculum exarun-

arundine confectum, quem etiam semper gestat, loco insignium tradunt, deinde Duci jusjurandum dant, obedientiam promittunt, reverentiam præstant, ut, dum eos alloquitur, verba illius summo excipiant silentio, postea sententias alternis aperiant acclamationibus, eidem etiam, quamdiu munere suo fungitur, vitæ & necis arbitrium supra quemlibet Cosacorum concedentes.

§. 3. Dux vicissim jurare iis, & plebejo, quod stricte observant, amictu tectus incedere cogitur. Inde factum est, ut Cosaci, quod è novellis didicimus, cum Castellanus Lubaczewsky Duci Mohilæ, more solito insignia, & inter alia dona pannum attalicum obtulisset, Militesque Ducem splendidos indutum vestes conspexissent, eum his verbis alloquerentur: O Dux exue hanc attalicam, & indue tritam tuam, & è variis panniculis confutam vestem, nisi fortunam experiri novercam velis. Præterea humanitate omnibus obvius est, & quoties plebem, dum arduum aliquod negotium suscipiendum est, convocat, vultu primum ad reverentiam & modestiam composito aliquoties versus multitudinem se inclinans, destinatum occupat locum, & detecto capite inter ceteros assidentes solus cum quatuor Consiliariis stat, quæque proponenda sunt, pleno comitatis sermone proponit. Hæc occasione quoque aut judicium exercet, aut, ut Exercitus aliquam in re sibi gratificetur, submissè petit.

§. 4. Sed & hic honor sæpè cum vitâ ipsâ etiam præter spem & expectationem ipsius Ducis evanescit, dum scilicet instabilis Vulgi libidine, vel Magistratu iterum, quem gesit, vel vitâ ipsâ privatur. Duces enim, quibus fortuna non favet, de dignitatis gradu dejiciunt, & qui criminis alicujus suspecti esse tantum videntur, tumultuario modo occidunt. Tale quid Lobodæ, Duci Nisoviorum veteranorum accidit, quem manus Lobodiana, postquam in eum aliqua derivata esset suspicio, capitis supplicio afficit, & in ejus locum Crempscium substituit, *apud Reinb. Heidenstein libr. XI. pag. 328.* Ita Præfectum Hiriczkonem, in simulatum, ac si cum regni Suspendiariis, qui Ao. 1630. in tractu Kioviensi hospitia sumebant, in perniciem eorum consensisset, & Seditionem, quam ob adventum regiarum copiarum concitaverant, sedare cupientem, trucidarunt, *apud Piascium in Chron. fol. 500.* & Ao. 1637. Ducem Sawakonowicz ejusque Consiliarium, Theodorum Onuskievicium, quod à suspicione non aberant,

in tumultu apud oppidum Barowica occiderunt, *apud eund. fol. 548.* Eadem quoque fata Kuniczkium nuper expertum esse, Relationes typis impressæ nos docuerunt, quem, cum hoc prætextu Mohiloviam vocassent, ut, quid de bello præsentis sentiret, aperiret, opportunè in oppidum advenientem, aliquot rationes prætendentes, pugnis ad ad extremum usque Spiritum cædere non dubitarunt.

§. 5. Ne verò solus Dux omnibus diffineretur curis, adjungere ei voluerunt, qui latera ejus tegerent. Hæc quatuor bellici Consilarii, vocati Assaulii, cum Legato, qui Substitutus Præfecti exercitus nominatur, claudunt; hos castrorum, bellicarum machinarum Præfecti, Chiliarchæ & Centuriones sequuntur, ultimum honoris gradum Notarius publicus obtinet, qui reditus sumptusque eorum notare, & literas ad Reges & Regni Proceres exarare solet. *Vid. Dn. Hartknoch. l. c. §. 16.*

Theſ. VII.

Dominos deinde supremos plerumque Reges Poloniae, raro Imperatores Turcicos, aut Magnum Ducem Moscoviae agnoverunt, quibus etiam tam Cosacorum Dux, quam cæteri Sacramentum dicere coguntur. Hodie Nitsovii & Zaporoviani Regi Poloniae, Donici & Severiani Magno Duci Moscoviae subjecti sunt.

§. 1. Lubrico sententiam Piaſecii talo niti, dum Cosacos sub jure & jurisdictione Polonorum consideratos proprio & separato Reipublicæ Polonicæ Statu non contineri tradit, *ad Anno 1596. fol. 171.* res ipsa loquitur; hos enim potius clientelarem tantum dominatum, ob internecinum odium, quò Turcas & Tartaros, ut gentes lingvâ, moribus & religione discordes, prosequuntur, apud Reges Poloniae plerumque quæſivisse, quilibet, qui à limine Historiam Polonicam tantum salutavit, facile intelligit.

§. 2. In quorum clientelam, ut primum se commendarunt, Electionem Ducis supremus Dominus confirmat, cui postea aut Dux cum cæteris, aut internuncii ad Regem missi fidem Sacramentum promittunt, quæle Ducis & exercitus nomine Nitsovii & Donici
Joanni

Joanni Casimiro apud Thorunium in castris tum agenti, dixerunt. *vid. Joach. Pastorii Orationem de Johan. Casimiri in Thorun. recuperatum & ingressu fol. 674.* Zaporoviani verò omnes propè Cudnoviam seu Czudnow Civitatem Volhyniæ ulterioris, jurejurando se obstrinxerunt, cujus formulam *vid. apud D. J. C. Becmannum Hist. Orb. Terr. Geograph. & Civilicap. VIII. §. 5.*

§. 3. Cum verò Alexius Federowicz Dux Moscov. gravius bellum Joanni Casimiro, quo tum temporis jam petebatur, minaretur, accidit, ut Casimirus inducias cum Moscis, qui bellum contra se Turcam quoque apparare audiverant, Anno 1667. mense Januario in 13. annos certis conditionibus pacisci non dubitaret, quas inter hæc quoque erat: Mosci Smolenskum, Severiam, & totam Ukrainam trans Borysthenem retinerent, redditâ Polonis Ukrainâ cis Borysthenem. Die Cosacken/ so auff der andern Seiten des Dniepers um Kiow wohnen/ mit der Moscovitische Czar in seine Protection nicht nehmen/ noch sich derselben anmassen. Hingegen wollen Ih. Königl. Majestät die Cosacken/ so auff der andern Seiten des Dniepers herum wohnen/ auch nicht in ihren Schutz nehmen/ noch sich derselben anmassen. *Vid. diar. Europ. Contin. XVI. Append. art. IV. pag. 8.* A quo tempore etiam Dunenses & Severiani, quorum Præfectus Samuelowitz hodie audit, Magnum Ducem Moscoviæ in hunc usque diem Dominum agnoscunt.

§. 4. Postea Charybdin vitare volentes Poloni, in Scyllam incidere videbantur. Anno enim 1672. Michaelæ clavum Republicæ gubernante, munitissimum totius Poloniæ propugnaculum Cameneciam ceperat Turcarum Imperator, mox ipsa regni viscera scrutaturum se significaverat, quod & factum fuisset, nisi Michael, inconsultis tamen Regni Ordinibus, pace ab eo his conditionibus impetratâ, prævenisset: ut Poloni Podoliam totam Turcico Imperatori traderent, Cosacos sui juris esse permetterent: quas tamen conditiones, quoniam Poloni tolerare non poterant, bellum Turcis inferre decreverunt, cujus initium quoque auspiciatissimum fuit. Nam, victoriam non satis de prædicandam Sereniss. & Potentiss. Johannes III. Rex Poloniæ, tunc adhuc exercituum Polonicorum Dux, Anno 1673. d. 11. Novembr. ad Chotimum arcem, à Turcis reportavit. Licet autem sequentibus annis bellum strenuè continuatum sit, tandem

dem tamen Poloni cum Turcis Anno 1676. Mense Novembr. certis iterum conditionibus in gratiam rediêre, inter alias etiam hæc erat: Ucraina, i. e. Regio limitanea, (qvæ Turcis Kazac Wilajeti seu Cosacorum Regio dicitur) cum Cosacis sub imperio Turcico permanebunt. Ast aliter rem direxit, qui corda hominum pro lubitu suo flectit. Ejus potente nutu evenit, ut Cosaci hodie Sereniss. & Potent. Joannis III. dicto audientes sint, & qvæ Polonia minata videbatur tempestas, in Tartaros & ipsam Aulam Ottomannicam decumbat.

Thef. VIII.

Felices annos & auxilia semper quidem, sed frustra tamen sibi promiserat Respublica Polonica, dum offendere cœperunt Rempublicam, qui armatâ eam manu defendere debuerant. Cosaci enim vel libertatem tuebantur, vel in libertatem se vindicare conabantur.

S. i. Gaudebat jam Russia iisdem cum Regno Poloniae juribus, sed subinde ob sacrorum diversitatem, (nam Græcæ Ecclesiæ ritus sequuntur) in Turcas prona, aut turbatoribus opportuna fuit. Quamobrem Cosacos Poloni sub idem regimen sacrum redigere tentarunt. Et initium etiam Anno 1595. factum est à duobus Ruthenorum Episcopis, Hippatio Pociey Vlodimiriensis, & Cyrillo Terlecky Leuceorientis seu Luceorientis Antistite, qui Romam profecti, à Pontifice Clemente VIII. & Cardinalibus pronis suscepti sunt animis; paulò post in Aulâ Constantinâ Palatii Vaticani, præsentibus Cardinalibus omnibus, suo & Collègarum suorum nomine, Romanæ Religioni subscripserunt. Et jam in ejus rei memoriam causa fuerunt numismata, partim Pontificis, partim Ruthenorum effigiem, ad obedientiam Romanæ sedis receptorum repræsentantia. Enimvero Episcopi domum reversi plures quàm unquam ante sperassent, adversos sibi habuerunt, consiliiqve hujus in primis Palatinus Kijovienfis Constantinus Ostrowski, Vir magnæ opulentia & autoritatis, quod à cæteris in consilium non esset adhibitus, inimicus & destructor fuit, quem multi tum ex Sacerdotibus, qui Popi isthic vocantur, tum Cosacis sequebantur, qui statim cum cæteris Ruthenis Unionem (ita denominabatur vulgò) vehementissimè oppugnarunt, seditionem-

nemq̄ve audito solo Unionis nomine concitantes, continuis q̄verelis pro Unione & contra Unionem Regnum Poloniæ turbarunt, ut ex hoc fonte odia, tandem bella profuerent, quibus non Russia solum, sed universa Polonia atrocissimè concussa est. *vid. Piascium in Chron. ad Ann. 1595. fol. 164. 165. Conf. Pastorium de Hirtenberg in Flor. Polon. libr. 7. p. 626. 627.* Postea Cosaci in Comitibus immunitates Religionis Græcæ salvas conservari petierunt, quorum petitioni Ordines, cum auctoritate Comitibus Lex confirmanda esset, Ann. 1632. locum dedere, pactaq̄ve An. 1658. cum Johanne Wyhowski Exercituum Zaporohensium Duce inita sunt, constitutumq̄ve est, ut Archiepiscopus, sive Metropoli Kioviensis Græcæ Religionis cum aliis Episcopis Russicis in Senatum admitteretur. In Palatinatu verò Braclawienfi alternatim, ita ut defuncto Senatore Romano-Catholico Græcus substitueretur, & contra. *Dn. M. Hariknoch libr. 1. cap. 9. §. 20.*

§. 2. Anno 1632. & tueri & capessere libertatem voluerunt. Cum enim mortuo Sigismundo III. Ordines ad ferenda suffragia, Varſaviam convocarentur, Legati etiam Cosacorum Zaporovianorum præter spem omnium advenerant, in Electione Vladislai IV. jus suffragii dari sibi postulantes, sed repulsam tulerunt, ordinesq̄ve Senatum tantum & Nobiles, non gentes ex ultimâ plebe collectas ad suffragia admittenda esse responderunt. *Vid. Piascium in Chron. f. 548.*

Thef. IX.

REbus secundis elati obedientiam ex Statu rerum suarum metiebantur, simulatq̄ve caput ad res novas idoneum, repererunt, vi graviore & diuturniore nunc Poloniam, nunc Moscoviam, non lassarunt modò, sed ad extrema etiam pericula adduxerunt.

§. 1. Ut jam silentii peplo involvamus Cosacorum in Silesiam incursiones, quas ipse prædæ adducti faciebant, ibiq̄ve omnia devastabant, *apud Reinh. Heidenstein libr. 9. pag. 275.* nunc tantum, quâ ratione Polonis & Moscis graves fuerunt, offensuri sumus. Intulerunt verò damna Polonis & Moscis vel indirectè, vel directè. Et indirectè quidem arma Turcica suis in ditiones Turcicas irruptionibus provocabant tum Dunenses, dum fecerant, ut ob interceptam ab iis
arcem

arcem Aſovum , apud oſtium fluvii Tanais in paludem Mæotim , ac inde in Pontum Euxinum defluentis ſitam , Ann. 1640. Turca Moſcum bello aggredi cogitaret ; tum Niſſovii , qui eodem ſe inquina- bant crimine , pacemqve Poloniæ cum Turcis initam ſubinde vell- cabant , qvòd è qverulis Tartarorum & Turcarum legatis ſatis ſuper- qve liqvet , qvos Rex Vilnæ audiverat , ubi de Koſakkorum injuriis & incurſionibus qverebantur. *Vid. Heidenſtein. libr. V. pag. 198.* Non multò poſt alia legatio Tartarica Regem Cracoviam venientem ex- cepit , qvæ ſimul , niſi poſtulatis locum daret , bellum denunciare vo- luit. Poſtulabant inprimis Legati , ut Rex & Respublica , munera , qvæ Moſci Tartaris obtulerunt , Coſaci verò Legatis Tartaricis ad Principem redeuntibus in itinere abſtulerant , reſtitui curarent , po- ſtulatis minas addebant , more loqvendi illis familiari , Principem jam eqvum conſcendiſſe , veniret Rex & fortunam ſuam experiretur , *apud eundem libr. VII. pag. 207.* Anno 1586. iidem Coſaci , inconſulto Rege , petulantia frænum laxantes , Valachicis finibus vaſtatis , in Turcicas ditiones converſi , Turcicum præſidium Koſlow , arcem- qve ligneam Jakorlicum , qvam ſcilicet cervicibus ſuis credebant , impoſitam , everterunt , Tehinum poſtea vetus imperii Turcici op- pidum progreſſi , è Civitate populo & opibus abundante , & à metu armorum à multis ſeculis immuni , ingentem prædam naçti , oppi- dum incenderunt , Bjalogrodienſemqve agrum & ipſam Tauricam Anno 1625. infeſtare auſi ſunt. *ibidem pag. 213.* Qvò factum eſt , ut Coſaci Niſovii Rempublicam Polonicam non mediocri exponerent periculo , qvòd Turca nunc pacta violata objecit , nunc hæc injuriã renunciatum fœderi voluit , nunc copiis advenientibus Poloniam terruit.

§. 2. Et licet Rex ſemper legatis reſponderet , Coſacos ma- num hominum è diverſarum gentium colluvie collectam , vagam , nullis certis ſedibus conſiſtentem , nullius etiam in poteſtate eſſe ; nihilominus tamen ſummum Reipublicæ imminere periculum vi- dens , petulantia obicem ponere debuit , inqve eo totus fuit , ut , aut copiis , qvos in Ruſſiam miſerat , aut ſupplicio , qvando licuit , petu- lantiam eorum compeſceret , qvòd Anno 1586. Podkova contigit , qui , qvòd concitã multitudine circa Regni cum Turcis conſinia pa- cem publicam laceſſere auſus eſſet , præſente internuncio Turcico ,
capite

capite plexus, & Nisoviorum pars à Turcis intercepta Constantino-
polin vineta compede missa fuit. *Vid. Piafecium in Chron. fol. 63. &*
Reinh. Heidenstein. libr. 3. p. 124.

§. 3. Sed periculofissimos Cosacorum motus jam videbimus.
Miserat ad eos Cæsar Rudolphus Legatos, qui Societatem cum iis
contra Turcam inirent, illisque pecuniam, vexilla, aliqvot tympana,
tubasque argenteas offerrent *teste Heidensteinio libr. XI. p. 327.* quibus
splendidissimis donis inflati, majoribus viribus sumtis non modò
Turcam & Tartaros in se & universam Rempublicam irritarunt;
verùm etiam ipsi directè Polonis arma inferre ausi sunt. Anno enim
1592. sub imperio Sigismundi III. Cosinius Cosacorum Ductor Russiæ
molestus fuit, quorum tamen Victor Janusius Castellanus Craco-
viensis exstitit. Eodem anno cum Cosaci prædas in hostico quære-
re prohiberentur, in Kioviâ & Lithvaniâ inter nobiles Provinciarum
Russicarum venari voluerunt, & fortunam non in prosperam experi-
ti, arma Duce Nalewaiko, impavidi animi homine induerunt. Ast
vitrea fortuna fuit, & cum splendere vix cœpisset, fracta est; Nam
paulò post Stanislaus Zolkievius Campiductor, Ducem Nalewaiko
in angustiis deprehensum ad deditiorem adegit, captivumque Var-
saviam duxit, ubi cum sociis scelus suum capitis supplicio luit. Ao.
1596. Regnum adeo concusserunt, ut Sigismundus III. Rex tali decre-
to petulantiam eorum reprimere coactus fuerit, ut tota hæc gens ad
internecionem exscinderetur, & bona ipsis concessa regiæ mensæ ad-
dicerentur. *Vid. citante Dn. M. Christ. Hartknoch Constit. Anno 1596. tit.*
Okozakach. Postea Polonis auxilia ferentes, iterum in gratiam Ao.
1601. recepti sunt. Sed in ipsâ quiete inqvies animos eorum adver-
sus Poloniam tenuit armatos: Anno 1630. aliqvot cohortes regias in
hybernis invaserunt, sed petulantia veniam iterum petierunt, eam-
que obtinuerunt. Anno 1637. licentia eorum creverat, ut de medio,
quo malo huic occurrere posset, cogitaret Vladislaus IV. qui, loco
ad coercendos eos maximè opportuno, impensis publicis munimen-
tum aliqvod Kodak seu Hudak nominatum extrui iussit, quod illi
quidem impedire conati, postea profligati, & ferre coacti fuere Ao.
1638. à Polonis, quod arma licet Antesignanum Paulucum capitis
supplicio affectum viderent, Ductore Demetrio Timofzewitz corri-
puere, omnia illis privilegia cum oppido Tectimorovo eripiebantur

pariter & vi ad obsequium reducebantur, Ao. 1647. & Ao. 1648. extincto Rege, & Anno 1649. sceptrum obtinente Johanne Casimiro, Cofaci ad priorem quidem licentiam suspirare voluerunt, & Ductore Bogdano Chmelnicio, in Exercitu Cofacorum Scriba, à teneris militiæ innutrito, & aulae Polonicae satis gnaro, in ita nunc cum Moscis, quorum potestati Kiouiam, aliaque praecipua illius Russiae oppida in pretium tutelae tradiderant, nunc cum Tartaris, inter quos tamen perpetuum ferè certamen fuit, belli societate, ad extrema descendunt, bellumque Ao. 1650. & Ao. 1656. strenuè continuerunt, post mortem tamen Chmelnicii, Ductore Vihovio, Moschicae seruitutis jugum quater, & Tartaris praecipuè (ita mirè Deus rem gubernabat) instigantibus, in Poloniam reflectere ceperunt animos. *Vid. prolixè de Chmelnicio agentem Pastorium de Hirtenberg. in Flor. Polon. fol. 485. 488. seqq. & in Oratione de Ingres. in Thorun. Joan. Casimiri fol. 674. seqq. & in libro de bello Scythico Cofacico. Ao. 1559. apud Russos patrocinium quaesierant, veterum cladum maculas eluere cupientes, usque ad Ann. 1660. quo novo obsequii nexu Poloniae illigabantur, quo tempore etiam, cum Elector Brandenburgicus necessitudinem cum Poloniae reintegraret, Cofacique Regnum brachio Electorali viderent subnixum, major quoque illis Regni veneratio incescit. Donici autem Duce Stephano Ratzino Annum 1667. mortuo Alexio Alexeide Czaris Filio, rebellionem foedum fecerunt, teste Dn. Schurrzseisch in Diss. de Stephano Ratzino, Cofaco Donico.*

Thef. X.

UTi verò Reipublicae pestilentissimum venenum, ita & egregium praesidium fuerunt. Vel enim Pontum Euxinum invasionibus suis infestum reddiderunt, vel terram cum Turcis & Moscis congressi, utilem Regno operam praestiterunt.

§. 1. Non semper ad mala sed & ad bona se vertere Cofaci, & Turcam terram marique bello petere solebant. Et ad bellum quidem maritimum apti sunt Zaporovii, illudque peculiari modo parant. Casis enim crassis pariter & flexibilibus tiliis, truncum ejus excavant, tepesfactumque diducunt, ut formam scaphae sexaginta virorum cum justo
meatu

meatu capacis repræsentet, deinde hanc intus coriis muniunt, ejusque lateribus fasciculos ex arundine confectos alligant, ut tempestate exortâ fluctus irati maris sine omni periculo supernatare, velocissimeque, si periculum immineat, ad vadosa loca fugere queant, teste *Piascio in Chron. fol. 54. & Andr. Maximiliano Fredrone in Hist. Henrici I. pag. 218. seqq.*

§. 2. Ejusmodi lintribus per Borysthenem in Pontum Euxinum vehuntur, oppidaque maritima expugnant, ipsis præsidariis Turcicis infesti. Sic Anno 1614. cum Imperator Turcicus Legatos Regni Poloniae, qui de incursionibus Tartarorum querebantur, susque deque habuisset, Cosaci Zaporoviani centum scaphis Pontum Euxinum transgressi, celebre propugnaculum Sinope occuparunt, & ablata pretiosissima supellectile, incolisque occisis, oppidum, ditionesque Turcicas flammâ deleverunt, & ipsam Constantinopolin terruerunt. Anno 1615. viginti quatuor Turcarum triremes cremaverunt, Thraciam, Bythiniam, & Paphlagoniam vastarunt, Trapezuntem cum portu, armamentario, & triremibus everterunt. Anno 1624. per Pontum Euxinum prope ad Suburbia Constantinopolitana perveniebant, & in littus descendentes oppidum insigne Iangikoie, ex quo opima spolia retulerunt, incendio immisso, non modo vastabant, sed & Imperatoriae sedi tantum incutiebant terrorem, ut classis triremium egressa, configere cum Cosacis non auderet. Hinc Amurathes Turcarum Imperator dicere solitus est, cum inter arma Principum in se conspirantium in utramque degeret aurem, solos Cosacos esse ejectamenta Polonorum, qui tanti Principis somnum turbarent. *leg. Dn. M. Hartknoch libr. II. cap. 8. §. 16.*

§. 3. Restat, ut sermonem à Ponto Euxino ad Russiae fines trajiciamus, & quomodo Zaporovii & Nisovii cum Turcis & Moscis decertantes, Rempublicam Polonicam terrâ quoque sublevarint, memoremus. Sic Anno 1581. paucis in custodiam insularum, ne à barbaris occupentur, relictis, incursionibus suis Turcis & Tartaris graves fuere, dum villas eorum incenderunt, & aliis occisis, aliis in servitutum abductis, Orlikum oppugnarunt, omniaque diruerunt. Ao. 1618. viginti millia Cosacorum Moscoviam ingressi, insignibus oppidis Saczko & Ielesko expugnatis, regionibusque illis longè lateque vastatis oppidum Caluba solo æquarunt. Anno 1621. triginta millia
Cosa-

Cofacorum Zaporovianorum auspiciis Sigismundi III. egregia apud Chotimum Virtutis specimina dederunt. Cum enim Turcarum, Imperator Osman castra Cofacorum Zaporovianorum, quæ Cofaci Thabor appellant, & redactis in ordinem aliquot plaustris, ad normam fortissimi propugnaculi muniunt, *vid. Dn. Jacob. Sobieski libr. II. de bello Chotimensi pag. 109. seqq. & Simonis Staravolsi Poloniam, edit. Dan. tisc. pag. 284.* ingenti exercitu oppugnasset, Zaporovii eum fortiter represserunt, quâ clade acceptâ ita efferbuerat, ut eodem die cibum sumere nollet, & unicuique Tartarorum, pro quolibet, quem adduceret, Cofaco, (bis mille verò agricolas Cofacorum loco adduxerant,) quinque aureos promitteret; sed à Cofacis Duce Konafevicio in fugam coniectus, sequentibus deinceps Polonis, castris etiam, in quibus ille plurimum spei posuerat, eiectus est. *apud Piascium in Chron. fol. 407.* Ao. 1626. iidem milites, Polonis auxilium ferentes, de Tartaris, qui arcibus suis à pluviâ madefactis ac lubricis uti non poterant, celebrem victoriam reportarunt. Et quotusquisque est, qui ignorat, quàm memorabili clade Cofaci hâc Anno 1684. Turcas & Tartaros, qui illorum arbitrio pacem & bella capebant, affecerint, ut, si amplissimam victoriam longius persequi vellem, Iliada post Homerum scribere videri possem, cum de eâ Relatio peculiaris hic typis impressa, in publicam emissa fuerit lucem. DEus porro orandus est, ut laudabiles Cofacorum conatus secundet, iis addat, perennitatem, atque inîtæ conjunctionis nodum fortius indies adducat!

S. D. G.

COROLLARIA.

I.

HUgonotos seu Huguenottos à Rege Hugone, qui Cæsarodunum noctu obequitare dicitur, nomen traxisse, recte docet Thuanus Hist. libr. XXIV. ad Ann. 1560.

II.

Summi Imperantis in bello præsentia utilis est.

III.

Ratio Status non licita modò, sed & necessaria est.

